



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.



D. O. M. A.
DISSERTATIO
DE
EXISTIMATIONE

QUAM
PRÆSIDE
SAMUELE PUFENDORF
PROF. PUBL. ORDINAR.

*Publico eruditorum examini in
Academia Heidelbergensi
submittit*

ERICUS TEET
SUECUS.

Ad d. 17. Septemb.



*Philosophica
v. n. n.*

HEIDELBERGÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI WALTERI, ACAD. TYPOGR.
ANNO MDCLXXVII.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE

[Faint handwritten text]





L. D. B. V.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

EXISTIMATIONE.

§. I.

Existimationem famamque
 tueri integram optimo cuiq; ma-
 xime cordi solet esse , & hanc qui amiserit,
 nullus judicatur. Sed & vegetissimum quem-
 que animum vellicare deprehenduntur stimu-
 li , ut subinde præstantiam suam præ aliis ostentare , atq;
 inde aliis antihaberi ardeat. Quod antequam obtinuerit,
 etiam lautissimæ cætera fortunæ ipsum piget tædetque. Sic
 ut penitissime naturam humanam perspexisse sint censendi,
 qui pronunciant , omnem animi voluptatem in eo sitam
 esse , quod quis habeat , ut cum aliis sese conferens ma-
 gnifice possit sentire de seipso. Atque isti gloriæ igniculi,
 qui non nisi sublimiores animas creduntur adurere , multos
 quidem egregia patrare subegerunt. Verum ubi enormes,
 ac ratione non rite fuerunt temperati , haut paucos per-
 A pulere

pulere, ut dum quacunq;ue via ad laudem grassantur, aliis, & sibi demum ipsis exitium invenerint. Neque vero minori molimine super dignitatis eminentia multos videas certare, quam si de vita fortunisque omnibus res ageretur. Sunt quoque, qui dum inanibus inflati stolide sese jactant, cordatis ludibrium debent. Ut igitur solide intelligatur, quæ sit hominum nativa velut dignitas, quid per instituta civilia ipsi accesserit, quæ sint fundamenta, quibus unius præ altero eminentia nitatur, universam hanc materiam de Existimatione publicæ disquisitioni placuit exponere. Quod ut bene cedat DEUM O. M. supplices rogamus.

Existima-
tio defi-
nitur,

§. 2. Existimationem igitur commodissime videmur posse definire, quod sit Valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari, aut comparari, eisq;ue vel antehaberi, vel postponi. Habent scilicet non exiguam inter se cognationem duæ nobilissimæ species quantitatum moralium, Existimatio, & Pretium, quarum illa in personis, hoc in rebus consideratur, quod ex illa personæ, ex hoc res in vita communi æstimantur. Et quemadmodum pretia rebus eo potissimum sine sunt imposita, ut res invicem permutandæ, aut ab uno in alterum transferendæ recte possint inter se comparari: sic & existimatio ei fini inservit, ut ratione istius tanquam valoris homines inter se queant comparari, quo decorus inter ipsos ordo, ubi conjungi eosdem contingerit, constitui possit; postquam omnimodam æqualitatem in genere humano sat commode servari haut quidquam posse satis adparebat.

& divi-
ditur.

§. 3. Potest autem Existimatio in universum dividi in *simplicem*, & *intensivam*. Quarum utraque consideranda

deranda venit tam inter eos , qui in naturali utrinque libertate vivunt , quam qui eadem civitate continentur. In naturali autem libertate illos invicem vivere intelligimus, qui neque communi imperanti humano , neque alter alteri subiiciuntur.

§. 4. *Existimatio simplex* inter eos , qui in naturali invicem libertate sunt constituti , in hoc potissimum videtur consistere , ut quis talem se ferat , & pro tali habeatur , quicum agi queat tanquam cum viro bono , & ad socialitatis humanæ leges sese accommodare pronus ; quique adeo legem naturalem adversus alios , quantum in se , observare sit paratus. Scilicet uti rem , quæ aliquem duntaxat usum in vita humana obtinet , alicujus pretii esse dicimus ; inutilem penitus nullius pretii vocamus : ita aliquem saltem valorem dixeris esse ejus , quicum utcumque tanquam cum animante sociabili potest agi. Ast si quis ineptitudinem ad societatem palam ostendet , quod sit legem naturæ , & officia inde aliis debita proterve adspernando & proculcando , cum merito nullius valoris hominem judicaveris.

Existimatio simplex naturalis.

§. 5. Existimatio porro isthæc considerari potest, vel ut *integra* , vel ut *deminuta* , vel ut *penitus consumpta*. *Integra* est , quando quis nondum per malitiosum aliquod & enorme factum sciens volensque dolo malo legem naturæ adversus alium violavit. Nam peccata infirmitatis humanæ conditioni condonantur , neque per illa statim opinio boni viri extinguitur , modo honestus animus , justumque sectari cupidus persistet. Atque isthæc existimatio omnibus adesse præsumitur , quousque ipsi per malitiam eandem non delibent. Adeoque naturaliter cuique hæc æqualiter dicenda est competere , ac citra antegressum pravum factum

Est vel integra.

omnes æque honesti sunt judicandi. Quo spectat & tritum illud; quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium. Neque obstant illa, quæ ab *Hobbesio de Cive c. i.* prolixè disputantur de malitia humani ingenii, & ad lædendum alios libidine. Quæ si absolute vera sunt, sane jam quilibet præsumetur malus, donec contrarium probetur. Enimvero quod ille præsupponit principium, falsum est: *omnes homines sibi invicem posse, & velle nocere.* Non possunt immediate invicem nocere, nisi qui loco junguntur. Nam qui absens mihi nocet, id facit per aliquem præsentem. Neque res meæ nisi per præsentem perdi queunt. Sed nec volunt semper homines invicem nocere, quippe cum illi, qui ratione utuntur, satis intelligant, quibusvis velle nocere in universum & ad diuturnitatem haut quidquam expedire. Et causæ, quæ ab illo afferuntur, quare homines sibi invicem velint nocere, particulares duntaxat sunt. Et multis horridum visum illud jus, quod natura cuivis in omnia dedit, semper per usum rectæ rationis temperari est intelligendum. Quia tamen homines sibi invicem possunt velle nocere, igitur naturaliter omnes homines habendi erunt pro bonis viris, sed qui mali fieri possunt, ac pro amicis quidem, sed quibus non usque quaque tuto fidas; adeoque status hominum naturalis invicem non quidem bellum proprie dictum erit, sed pax parum fida.

vel dimi
auta

§.6. *Diminuitur* isthæc existimatio per facinora malitiosa, præprimis enormia, contra jus naturæ aliis immerito illata; quæ efficiunt, ut non tutum sit aliis deinceps fidem ejusmodi deceptoris habere, ac citra solidam cautionem cum ipso negotii quid habere aut contrahere. Diminuitur tamen per prava facta alicujus existimatio, non penitus consumitur. Nam etsi suspicari non improbabiler possim, talem quemque fore erga me, qualem adversus alios sese gessit: id tamen

tamen non semper ita solet esse certum, quin interdum contrarium adpareat. Quippe cum peculiare potuerint existere causæ, quæ ipsum ad decipiendos alios irritaverint, quæ in me non deprehenduntur. Potuit & quis uno tempore pravis affectibus agitari, à quibus alio tempore ipsius animus est immunis. Et ex hisce explicanda trita quæstio, an fides perfido sit servanda? Scilicet si quis in eodem pacto non præstitit, quod promiserat, neque ego, quod promisi, præstare debeo; cum pacta mutua stent fide, & capita conventionum sibi invicem insint per modum conditionis; faciam si feceris. Quod si quis cum eo, à quo semel deceptus, denuo paciscatur citra peculiarem cautionem, imprudenter sane facit. Sic ut apud aliquos in proverbium abierit; qui semel me deceperit, illum dii perdant; si bis me deceperit, dii me perdant. Sicut & ubi tertius cum tali pacisci debeat, merito habet, quod majori circumspectione utatur. Si tamen iste aut hic, non obstante morum opinione, cum tali contraxerit, fides utique erit servanda; cum eo ipso dum paciscitur isti exceptioni censeatur renunciare; quòd aliàs nihil inter ipsos actum foret. Nisi forte post pactum initum certa adpareant indicia, ipsum id agere, ut me decipiat. Tunc enim alterius fraudulentæ sese ultro præbere summa foret stoliditas. Potest tamen isthæc existimationis macula, ex prave factis contracta, deleri, præstita ultro damni dati reparatione, aut æstimatione, atque editis animi poenitentis signis. Hæc enim sponte elicita sufficientem possunt fidem facere animi serio emendati.

§.7. Ast vero hanc existimationem penitus *consumit* vel *consumta.* vitæ genus &, institutum, directè spectans ad aliis promiscue nocendum & rem ex manifestis aliorum injuriis faciendam. Equidem dantur & in civitatibus quædam vitæ genera, quæ
A 3
exerci-

exercitium certi cuiusdam vitii profitentur ; quali vitæ genere inquinantur meretrices , lenones , validi ac vagabundi mendici. Item apud Ægyptios fures professi ; de quibus *Diodorus Siculus* l. 1. c. 80. Qui furtis operam dare volunt , nomina apud furum principem profitentur , & è vestigio-furtum ex pacto ad eum referunt ; qui res suas amiserunt , consimiliter unum quodlibet amissorum literis consignatum exhibent , locumque ac diem , quibus jacturam fecerint , adscribunt. Hoc modo cunctis facile repertis fraudatus taxatione rerum facta , quadrantem horum persolvit , & tum sua recuperat. Cum enim fieri non possit , ut omnes à furto abstineant , viam legislator invenit , quo tota res sublata præter exiguum redemptionis pretium servaretur. Enimvero crediderim pauciori privatorum dispendio id genus hominum posse sustentari , adhibitis diligenter ergastulis , virgis atque restibus. Talium quantilla sit existimatio , civitatis , quæ illos tolerat , est determinare. Saltem communi hominum jure frui debet , cui publice vitii professio exercenda indulgetur. Quo spectat illa expositulatio lenonis apud *Terent. Adelph. act. 2. sc. 1. Leno sum , fateor , perniciēs communis adolescentium : perjurus , pestis ; tamen tibi à me nulla orta est injuria.* Item illud *Ulpiani* in l. 4. §. 3. ff. de *condict. ob turp. caus. Meretricem turpiter facere , quod sit meretrix ; non turpiter accipere , cum sit meretrix.* Ast naturalem Existimationem vehementer profligari per vitæ genus , qualiscunque vitii professionem habens , constat ; ni tamen illud vitium cum aliorum injuria sit conjunctum , non videntur tales tanquam communes omnium hostes posse tractari. Verùm quorum professio injuriam aliorum habet propositam , quique adversus quoslibet homines , aut illos saltem , qui extra ipsorum consortia degunt , promiscue

miscue eadem ; quâ in bestias , licentia utuntur , eos penitus illa existimatio deficit , qua quoslibet aliâs homines metimur. Inter quos referuntur , piratæ , prædones , latrones , sicarii , manticularii , & id genus alii. Nec ab isto censu eximuntur , si qui non ad extremum in omnes promiscue sævire soleant ; puta , quod alii contenti res rapuisse , cædibus abstineant , aut crumena pallioque deliniti recedant. Nam justitiæ laudisque nihil habet , non omnes numeros injustitiæ explere. Æque mihi fures & prædones , qui interdum tantum rapinam exercent , aut à bobus aratoribus abstinent : aut qui rapta æquo pretio , si velint , dominis redimenda concedunt. Sic ut probari hautquidquam queant , quæ in excusationem , ut videtur , antiquorum illorum , quibus rapto vivere quæstus erat , afferuntur *Hobbessio* c. v. §. 2. Quale genus vitæ plerosque veterum Græcorum agitasse memorat *Thucydides* l. 1. Et Heniochos *Strabo* l. x. Nam neque ista licentia ex jure illo , quod natura ex mente *ipsius* dedit in omnia , deducitur ; & qui paria reponit illis , qui ex ipso prædas egerunt , non exercet *ἀνεπίκη* , sed justum bellum gerit. Sed & quin sub hanc classem referri debeant integri cætus piratarum & latronum , quamdiu quidem isti vitæ generi non renunciant , dubio caret ; utut forte instar aliquod justitiæ inter se videantur exercere. Imò nec excluderim integras , si quæ essent , civitates , quæ coiverint quidem juris inter suos cives fruendi causa ; de cætero autem in alios omnes hostilia exercent , nulla pactorum & fidei aliis datæ ratione habita. Quod si autem sint civitates , quæ pacta cum aliis inita servant , sed vel adversus quosvis alios , vel saltem adversus certas gentes , quædam juri naturæ non congruentia citra justam causam inferre sueverunt ; iis omnem

omnem existimationem detrahere non licebit, etsi eam non parum deformatam existere liquet. Id quod videtur adplicari posse ad incolas Barbariæ, qui pãcta utcunque servant, & Muhamedanos suos non deprædantur; præsertim cum dicere possint, dari quoque inter Christianos, quibus implabile in Muhamedanos bellum gerere officium habeatur.

Consum-
ta Existi-
mationis
effectus.

§. 8. Cæterum effectus, qui ejusmodi homines existimatione penitus destitutos apud alios consequuntur, hi fere sunt, ut nisi vitam istam cruentam & rapacem abdicatum eant, ab aliis non magis parci ipsis conveniat, quam lupis, aut aliis truculentis belluis. Et ubi deprehensi fuerint, atrocius plerunque solent tractari, quam alii hostes, utut & hi ultima nobis intentaverint. Sed & indigni habentur, quibus ullum humanitatis etiam simplicis officium exhibeatur, quippe quo ad nocendum aliis confirmantur. Quin & uti in ipsorum fide, si quam dare velint, nihil fiducia locandum, cujus apud alios opinionem vitæ ipsorum atrocitas elidit; ita nec fidei ab aliis datæ ipsos capaces esse, quamdiu istius scelestæ vitæ continuationem præse ferunt, (id quod semper præsupponitur,) non absurde videtur asseri posse. Vel enim ultro cum tali paciscor, vel vi ipsius injusta compulsus. Prius quomodo fieri queat non video, nisi ut & ipse scelerum ejus contagione inficiar, dum tanquam cum amico ago, qui se communem omnium hostem, præterquam suorum complicum, fert. Quid quod sæpe fidem latroni servare, v. g. in deposito, cum injuria aliorum est conjunctum. conf. l. 31. §. 1. ff. *Depositi*. Quod si autem latro operam mihi aliquam utilem præstiterit, qualem quidem abs tali acceptare mihi non turpe fuerit, æquum sane videtur, ut promissam mercedem ipsi solvam. Sed tunc iste latro non amplius erit, qualem heic
supponi-

supponimus communis omnium, præter suorum sociorum, hostis. Sed ad quæ pacta ipsi metu alios compellunt, ea non solum vitæ genus, sed & metus iste ipso jure (loquimur heic ex lege naturali,) facit nulla; non obstantibus argumentis, quæ afferuntur à *Grotio*, l. 2. c. 11. §. 7, & *Hobbesio* de *Cive*. c. 2. §. 16. Quin nec ista pacta, accedente licet jurejurando, valida fieri, probabiliter defendi posse arbitramur. Quicquid contra tendat *Grotius* l. 2. c. 13. §. 15. Cæterum recuperari potest ejusmodi hominum amissa existimatio, si vitæ genus scelestum exuerint, aliudque honestum susceperint. Quod non in singulis duntaxat, sed & integris in cœtibus latronum & prædonum procedit. Ex quo tempore cum illis tanquam cum honestis hominibus erit agendum. Ut tamen prius injuriarum datarum reparationem fecerint, aut condonationem obtinuerint.

§. 9. *Existimatio simplex intra civitates degentium* Existimatio simplex civilis, est, qua quis pro membro saltem vulgari, eoque integro civitatis reputatur; seu ut quis juxta leges & mores civitatis pro vitioso ejusdem membro non fuerit declaratus, & aliquo esse numero, caputque habere intelligatur. Ist deficit, hæc porrò existimatio in civitate deficit vel ex *mero statu*, vel *ex delicto*. Prius contingit itidem duplici modo, vel ut status in se naturaliter nihil turpe habeat, vel ut cum vitio aliquo, aut saltem eius opinione sit conjunctus.

§. 10. Solus status, qui natura sua nihil vitiosi habet, existimationem simplicem in multis civitatibus admittit mancipiis, quæ pro personis civilibus non reputantur; seu quæ caput civile non habere, nulloque numero intelliguntur esse. Quam vilis istorum conditio apud Romanos fuerit notissimum. Speciminis loco potest esse, quod leges, quibus poena ~~incensus~~, stupri, aut adulterii

rii constituta est, ad mancipia pertinere non existimabantur. vid l. 6. ff. *ad L. Juliam de adulter.* l. 23. l. 29. C. d. t. Item quod testimoniis etiam juratorum pro tribunali nihil fidei fuerit tributum, sed non nisi per tormenta ex illis fuerit quæsitum; quasi non honestas aut conscientia, sed solus dolor abs tam vilibus hominibus verum posset elicere. Nec major servorum, saltem gentilium, æstimatio apud Ebræos, qui servo familiam, cognationem, prosapiam negabant esse. Adeoque utut ipse in servitute constitutus prolem procreasset, manumisso tamen eadem non proderat ad hoc, ut censeretur satis fecisse præcepto divino, *crescite, & multiplicamini*; sed denuo post manumissionem uxor erat ducenda, & proles suscipienda. Quasi non hominem procreasset, qui servum generaverat. Vid. *Selden.* de I. N. & G. l. v. c. 3. Qui l. v. c. 17. refert, apud eosdem servorum & ancillarum è gentilibus in servitutem redactarum cognationis ante manumissionem nullam fuisse habitam rationem in re concubitus. Qua in parte melius Romanæ leges etiam in servilibus cognationibus naturalem pudorem volebant inspicere. vid. l. 14. §. 2. ff. de rit. nupt. Sicut & naturale discrimen inter servos atque liberos melius videtur æstimasse Lycurgus, de quo est ap. *Ælianum* V. H. l. 12. c. 43. Mothaces vocabantur servi locupletiorum, quos patres in gymnasia exercitatum simul cum filiis mitterent. Ο δὲ συγχωρήσας Ἰέλο Λυκῆργος τοῖς ἐμμεῖνασι τῆ τῶν παιδῶν ἀγωγῆ πολιτείας λακωνικῆς μέγαλα γάνει. In quibusdam etiam civitatibus sat tenuis spuriorum existimatio; cum tamen, quod vali modo sint geniti, non ipsorum, sed parentum culpa versetur. conf. l. 5. C. *ad SCim. Orfitianum.* & *Stobæum serm.* 75.

§. 11. Posteriori modo status existimationem civilem tollit aut minuit, quod in isto constituti circa talia negotia occupantur, quæ sine vitio obiri non possunt, vel propter sordes non nisi à vilissimi & abjectissimi hominibus animi exercentur. Quo loco prioris sortis homines censeantur, ex cujusque civitatis legibus aut moribus patebit. Ad posteriorem classem pertinet, quod in multis civitatibus carnifices, lictores, foricarii, & similis farinae homines ab honestiorum consortio excluduntur; non tam quod legibus civilibus hoc sit constitutum, quam quod communi consuetudine & opinione talibus misceri pudendum habeatur. Idque tum quia ministeriis illorum, cum atrocitate & foeditate conjunctis, plerunque mores solent respondere; tum quia non nisi viles animæ ad talia ultro sese adplicant. Aliquando & certa vitæ genera professi per ipsas leges inveniuntur notati. Uti sunt ex L.L. Romanis, qui mercedis causa in scenam prodeunt. vid. l. 1. ff. de his, qui not. infam. aut qui operas suas, ut cum bestiis depugnaret, locaverit, l. 1. §. 6. ff. de postuland. Ubi infamiæ irrogandæ fundamentum non tam consistit in aliquo malo facinore, cum talia etiam innoxie possint obiri; sed quod ista ob lucrum patrare tanquam foedissimum Romanæ indoles gravitatis averfaretur. Sic & iisdem legibus non nisi ob suspicionem animi levissimi, & fidei amorisque desultorii infamiam pariebat, intra tempus luctui destinatum filiam viduam alteri nuptum locasse, talem duxisse, aut sub sua potestate constitutum pati ducere, aut hoc modo nubere.

Vel ex
statu vi-
tioso, vi-
liquo.

§. 12. Ex antegresso autem delicto existimatio simplex civilis penitus deficit, quando quis juxta leges ob certum delicti genus, (nam omnia delicta civiliter existima-

Vel ex
delicto,

tionem non extinguunt ,) infamia notatur ; idque vel
 ut vita naturali simul expellatur , & memoria quoque ejus
 damnetur , vel ut cum infamia civitate penitus eiiciatur ,
 vel ut in civitate quidem retineatur , non tamen velut
 membrum integrum , sed tanquam infectum ; ut qui
 domicilio quidem civitatis , & communi legum tutela
 gaudeat , muneribus tamen publicis ac honestis societati-
 bus exclusus , & ad exercendos actus legitimos , existima-
 tionem præsupponentes , inhabilis , seu intestabilis. Quæ
 autem crimina sint , talem infamiam conciliantia , ex cu-
 jusque civitatis legibus est cognoscendum. Conf. l. 5. § 1. 2 3. ff.
 de *extraord. cognit.* circa quam tamen observandum , in
 uno atque altero exemplo non satis accurate distingui exi-
 stimationem simplicem ab intensiva. Notanda quoque
 heic lex Ægyptiorum , quæ ordinum desertoribus , aut
 imperatorum jussa non exsequentibus , non mortis , sed
 infamiæ extremam poenam decernebat. Quod si postea
 ignominiam strenuitate aboleverint , in pristinam dignita-
 tem restituebantur. Ita cum ignominiam gravius morte
 supplicium fecerit legislator , simul infamiam pro summo
 malo habendam docere voluit : simul nihil morte affectos
 vitæ communi profuturos amplius : honore vero deje-
 ctos pristinae ingenuitatis desiderio plurimum adhuc boni
 effecturos censebat. *Diodor. Sicul.* l. 1. c. 78.

Legibus
 notato.

§. 13. Observandum porro est ex mente Jurisconsultorum
 Romanorum , turpia facta , quibus infamia contrahitur,
 notari vel immediate ipso jure , vel antegressa cognitione &
 condemnatione judicis , vel honestorum virorum quadam
 velut censura ; quam vulgo vocant infamiam facti. vid.
 l. 13. C. *ex quibus caus. infam. irrog.* add. l. 2. ff. *de obseq.*
parent. prest. l. 20. ff. *de his qui notant. infam.* l. 25. C. *ad L.*
Jul.

Jul. de adult. Circa quam tamen infamiam facti judicaverim, illam non tam immediate resultare ex opinione virorum gravium, quam ex ipsa quoque lege infligi ideo, quod talia facta virorum gravium opinione damnantur, ac foeda habentur. Nam ut turpe sit, viris probatis non probari: tamen nisi declaratio legis accedat, solo privatorum judicio nemo jacturam facit existimationis hactenus, ut excludatur emolumentis & juribus illis, quæ integram existimationem ex legibus civilibus comitantur. Unde & illud apparet, non statim fieri infamem, qui accusatus fuit de crimine infamiam pariente, aut cui illud est objectum; nisi de eodem fuerit condemnatus, aut idem agnoverit. Id quod etiam facere censetur, qui cum actore paciscitur, ut is ab accusatione desistat: quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. l. 5. ff. *de his qui not. inf.* Nisi forte ostendi queat, non conscientiam criminis, sed alias fuisse probabiles causas, puta vexationem fori, judicis immanitatem aut inimicitias, ut quis maluerit pacto cum actore defungi. Quanquam autem eo ipso integram quis existimationem intelligatur retinere, si super objecto crimine à judice fuerit absolutus; tamen ut rei innocentia eo latius innotescat, simul puniendo calumniatori, in multis civitatibus receptum, ut ipse actor ad palinodiam adigatur, se ipsum mendacii arguere, deprecari, reoque honorem exhibere cogatur, & si quæ sunt alia.

§. 14. Ex hisce id quoque facile intelligitur, ve-

Infame non est injurias ferro non exsequi.

ram infamiam non posse alicui inde conciliari, quod injurias verbis aut re sibi illatas non propriis armis, uti quibusdam in locis inter nobiles præprimis & militares viros pravus mos invaluit, sed per magistratum vindicare, aut

easdem tacite concoquere voluerit ; modo ista patientia non arguat foedi alicujus facinoris confessionem. Id quod olim apud priscos Teutonicos populos videtur habuisse detrectatio duelli , quod in probationem juris , aut purgationem objecti criminis adhiberi moris erat. vid. lib. 2. tit. 32.33. *Constitut. Sicularum. & Frider. Lindenbruch in Glossario LL. Antiq. voce Duellum & Campio.* Etsi morem istum defendere non placeat. Habet equidem multum segnitiae & timiditatis viro indecoris , quasvis injurias & insultationes deglutire , nec ad defensionem libertatis aut juris sui strenue accingi. Tamen si quis quarundam injuriarum vindictam cum judicio magis adspernetur , quam per formidinem deserat , celsi satis animi documentum edit. Neque in eo quid est , quod existimationem naturalem aut civilem extinguat. Multo minus autem infamia contrahitur in illis civitatibus , ubi privata injuriarum executio expresse per leges est interdicta , si quis legibus potius parere , quam obtentu vani honoris periculo simul pugnae ancipitis , legumque severitati sese velit exponere. Neque semper signum timiditatis est , cum alio quavis de causa in pugnam nolle descendere , vitaeque & fortunarum discrimen temere subire ; cum aliae longe tutiores , & vitio carentes dari queant occasiones , quibus quis fortitudinem suam queat ostentare. Exemplum Pulionis & Vareni centurionum vid. ap. *Casarem* de B. G. l. v. Neque cordatum vulgi heic voculae debent movere ; cum cujusque civis existimatio judicio summi imperantis , legumque steter cadatque , & in eo virtus sit , legibus velle parere , sprete inani male feriatorum hominum opinione.

§. 15. Manifestum porro & illud est, existimationem simplicem, tam naturalem quam civilem, non posse alicui adimi per imperantem pro mero arbitrio, nisi ex antegresso ipsius delicto, quod sui foeditate, aut per legum sanctionem expressam, infamiam habet comitem. Nam cum talis potestas nullo modo possit facere ad conservationem aut emolumentum civitatis, eandem in nullo imperantem fuisse collatam intelligitur. Quanquam uti per injuriam imperans civem civitate potest eiicere: sic itidem per injuriam poterit istum privare existimatione civili, saltem haecenus, ut spoliatur emolumentis illis, quæ existimationem integram in civitate comitantur. Intrinsicæ autem illa & naturalis existimatio non magis tali adimetur, quam ipsius honestus animus. Accedit, quod contradictionem involvat, infamem aliquem declarare ex nuda libidine, id est, arguere aliquem affinem foedorum criminum, non quia revera ista patravit, sed quia innoxium hoc modo tanquam noxium tractare placet. Sed & illud certum videtur, neminem civem obligari, ut existimationem suam simplicem civitati impendat, seu ut veram infamiam contrahat propter utilitatem civitatis. Facta enim turpia, ex quibus vera infamia oritur, neque à civitate imperari possunt, neque à cive præstari debent.

Existimatio
simplex
ex mero
arbitrio
imperan-
tium
non de-
pendet;

§. 16. Illud non ita liquidum est, an ab honesto cive postulari queat, ut ipse Principis aut civitatis infamiam in se suscipiat, seu pro ipsius sceleribus sese velut reum subdat? Heic etsi videatur, vix posse quenquam sese scelestum sine scelere fingere; putaverim tamen distinguere debere inter delicta Principis domestica sive privata, & publica, seu quæ in totam civitatem redundant. Circa priora, ut quis se pro Principe reum subdat, neque

Nec pro
illis ab
sumi po-
test.

que hic honeste postulare potest ; neque ille præstare , eo nempe fine , ut vel plausibilem prætextum sceleri Principis suppeditet , vel maculam , quæ hujus existimationem naturalem affectura erat , in se derivet. Nam civilem existimationem Principi supra judicia civilia posito nemo ademerit. Neque puto quenquam cordatum probaturum illud Aniceti factum , qui Octaviæ sese adulterum jactabat , ut Neroni prætextus foret ipsam matrimonio exturbandi. vid. *Tacit.* A. XIV. 62. Solet tamen non raro contingere , à ministro quidpiam tractari cum aliis ex mandato Principis , sed ita ut in reip. damnatum sit redundaturum , si publico id consilio factum appareat ; quod damnatum declinari queat , culpa in ministrum collata , quasi privato id ausu ab ipso fuerit susceptum. Hæc arbitror bonus civis non detrectabit ad avertendum à civitate sua magnum malum simulare , nullo publico mandato sese id egisse ; modo ficta duntaxat infamiæ poena defungi liceat. Nam mortem aut deditionem eo nomine pati , durum nimis foret. Illud autem quicquid est simulatæ poenæ facile iterum tolli , aut alia via pensari potest. Cæterum id manifestum est , infamiam civilem aboleri posse per eum , cui eandem infligendi potestas est. Ita tamen , ut siquidem illa fuerit inflicta ex flagitiis , restitutio famæ tantum producat effectus civiles externos integræ existimationis ; naturalis existimationis labem hautquidquam tollat.

Existimationis intensivæ

§. 17. Existimatio *intensiva* est , secundum quam personæ , aliàs quoad existimationem simplicem æquales , sibi invicem præferuntur , prout uni præ altero insunt , queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem honor , qui intensioni existimationis respon-

respondet, proprie significatio iudicii nostri de præstantia alterius; adeoque revera honor est non in honorato, sed in honorante. Etsi metonymica quadam ratione ipsa quoque existimatio, seu id, quod honorem meretur, eo vocabulo insigniatur: ut & peculiariter certi status, quos honor comitatur, honores dici sueverunt, quod regulariter illis conferantur, qui alios præstantia antecellunt. Argute porro ab *Hobbefio* c. 1. §. 2. observatum est, causam gloriationis & honorem, cum comparatione & præcellentia constet, si omnibus adsit, nemini adesse. Neque societatem inter multos homines, aut multi temporis iniri posse gloriæ causa, seu ut socii mutuo sese adjuvent ad nanciscendam gloriam & honorem. Quippe cum tanti quisque inter homines iudicetur, quantum sine aliorum ope ipse potest. vid. *Senec. epist.* 27. de Calvisio Sabino. Sicut & idem *Hobbefius* d. 1. eleganter ostendit, quomodo in omni genere congressuum, qui ob voluptatem animi instituuntur, quilibet seipsum cæteris anteferre nitatur, adeoque homines quam maxime honoris & gloriæ stimulis agitentur.

§. 18. Potest autem existimatio isthæc intensiva ^{Naturalis} considerari vel inter eos, qui invicem in *naturali libertate* vivunt, vel qui *eadem civitate continentur*. Deinde expendenda erunt *fundamenta* istius intensivæ, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus* proprie dictum, quo idem ab aliis tanquam debitus postulari queat.

§. 19. Fundamenta intensivæ existimationis in genere censentur omnia illa, quæ insignem aliquam præstantiam aut perfectionem habent, (*Cicer. de natur. deor.* l. 1. *habet venerationem justam, quicquid excellit.*) aut eandem judicantur arguere; & quidem talem, cujus effectus cum fine

C

fine

Funda-
menta in
ter priva-
tos

fine legis naturalis aut civitatum congruit. Nam stulto vulgi iudicio eos quoque interdum videas celebrari, qui circa vitium aliquod exercendum cum primis sese strenuos exhibent. Uti sunt potatores bicongii & tricongii, & in quos cadit illud *Juvenalis sat. 4. Nulli major fuit usus edendi Tempestate mea. Aristophan. Acharnen. act. 1. sc. 2. εἰ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἠγῶνται μόνως τῆς πλείστας δυναμένως καταφαγεῖν τὴ καὶ πικρῆν.* Item acerrimi præliatores Venerci, ῥιφοκίνδυνοι, astutissimi fures, & id genus homines vitiorum suorum antesignani. Qui tamen quo perfectius artificium suum calent, eò nequiores à probis viris habentur. Etiam si ista sæpe robur corporis, aut vividum animum arguant, sed qui in prava detortus eo vehementius vitiis exuberat, quo majore vigore florescit. In specie autem inter ista fundamenta sunt perspicacia mentis, & capacitas animum variarum notitia rerum excolendi, maxime ubi actu capacitas ista fuerit impleta. Idoneum circa res gerendas, & discernenda ambigua iudicium. Animus firmus, & per externa inconcussus, illecebrisque & terroribus superior. Facultas decore & copiose animi tena explicandi. Tum robur, decus, & dexteritas insignis corporis, prout isthæc præclari animi in licia vel instrumenta judicantur. Nam illud nimis quam simplex, quod tradit *Themistius orat. XIV. Αἰθίοπες ἐχειροτόνην τὸν βασιλέα πῆχει καὶ μέγρω γνωμαλεύοντες τὴν ἀρετὴν.* Præsertim cum frequenter huc trahi possit illud *Oppiani Cyneget. 1. 3. v. 68. μείοσι μὲν μείζων τελέθει, μεγάλοισι δὲ μείων.* Bona præterea quæ vocantur fortunæ, prout arguunt vel dexteritatem in acquisitione, vel facultatem aut materiam præclara patranda. Maxime autem existimationem intendunt res egregie gestæ, quod & illæ intrinsecam præstantiam præsupponant, eamque in usum deductam, & ad legitimos

gitimos fines adhibitam ostendant. *Aristot. Rhetor. l. i. c. 5.*
Τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ ἐνεργητικότες. ἢ μὴν ἀλλὰ τιμῶ-
νται καὶ ὁ δυνάμενος ἐνεργεῖν. Et quidem prout illa præstan-
 tia, aut res gestæ in plurimorum notitiam pervenerunt,
 Claritas proprie dicitur. Ubi autem comitatur aliquem
 apud alios opinio peculiaris prudentiæ ac sapientiæ circa dex-
 tre determinanda dubia practica, aut veritates theoreticas,
 Autoritas nuncupatur. Neque alio intuitu ætas provectior
 existimationem judicatur intendere, quam quia ex multo re-
 rum usu, & diuturna contemplatione negotiorum huma-
 norum prudentiam conciliasse putatur. vid. l. 5. ff. de *Jure*
immunitatis. Diodor. Sicul. l. 19. c. 34. In omnibus sic com-
 paratum videtur, ut plus reverentiæ & honoris grandiori-
 bus natu, quam minoribus exhibeatur. Etsi non desint,
 in quos quadret illud *Ovidij metamorph. l. 9. fab. ii. Qui*
propter amara senectæ Pondera despicitur, nec quo prius ordi-
ne regnat. Strabo l. xv. Indi ætati senum prærogativam nul-
 lam tribuunt, nisi prudentia excellent. Sed & sexui mas-
 culino majorem præ fœminino dignitatem tribuere putatur
 l. 1. ff. de *Senatoribus.* add. tamen *Jacob. Godofr. de precedent.*
 part. 1. c. 5. §. 35. Quanquam in universum sexus fœmini-
 nus cum masculino quædam existimationis fundamenta ha-
 bet communia, quædam peculiaria, uti est præcellentia
 in virtutibus & functionibus, quæ in eum sexum præcipue
 judicantur cadere; quædam demum mutuatitia, ut quod
 radiis maritorum dicuntur fulgere, aut quod se numero &
 præstantia prolis quam maxime efferunt. vid. *Ovid. metam.*
vi. fab. 4. v. 172. seqq. 181. Valer. Max. l. 4. c. 4. §. 1. Plu-
tarch. in. C. Graccho. de Cornelia.

In se pro-
ducunt
aptitudi-
nem tan-
tum ad
haben-
dum ho-
norem;

§. 20. Porro de omnibus hisce existimationis in-
tensivæ fundamentis observandum, ea in se non produce-
re, nisi aptitudinem seu jus imperfectum ad habendum ab
aliis honorem & venerationem; adeoque si eundem aliis
etiam meritis quis denegaverit, non potest dici injuriam fe-
cisse, sed duntaxat inhumanitatis, aut si ita loqui licet, in-
civilitatis notam sibi contraxisse. Nam inter eos, qui in
naturali invicem libertate vivunt, adeoque naturaliter in-
vicem æquales sunt, & ubi quilibet rerum suarum & actio-
num est arbiter, non adparet, quomodo quis ab altero ju-
re suo honorem & venerationem postulare queat; cum ob
naturalem illum amorem, quo quisque se & sua prosequi-
tur, judicare possit, talia in se esse, quæ omnino paria
sint aut superiora illis, quibus alter sese effert. v. g. Osten-
tat aliquis canos suos; ast alter juvenilem vigorem suum i-
stis longe potiore habet. Alium spes sua æque, atque al-
terum res inflant. Ferox est Ajax robore corporis; ast Ulyf-
ses prudentia, & facundia longe se præferendum isti judicat.
Alius divitias jactat, alius animum regum opes æquantem. De-
inde cum delatio honoris ac venerationis eliciatur per id, ut
quis agnoscat præcellentem in altero præstantiam, seque eam
ob rationem ipsi ultro submittat, & vero hoc per vim ex-
ternam non possit extorqueri, quæ contumaciam potius
animi obfirmat; patet inconveniens esse istis fundamentis in
se tribuere vim juris perfecti, quod etiam vi armisque pos-
sit asseri. Accedit, quod cum intrinseca veneratio per vim
non possit extorqueri, externa autem signa, ni ex animi
submissione proficiantur sint inania, & ludibrium potius,
quam honor; stultum sane fuerit propter inanium denega-
tionem in arma ruere. Præprimis si alter protestetur, se
venerationem ommittere, non ex contemptu, sed quia liber-
tate

tate sua naturali velit frui ; quæ ipsi indulgeat , non cogi per vim ad illa , quæ ex ipsius arbitrio & humanitate debeant dependere. Sicut mascule quondam Scythæ ad Alexandrum : *Qui sis , unde venias , licetne ignorare in vastis sylvis viventibus ?* Curt. l. 7. c. 8. Ex quibus manifestum esse videtur , etiamsi rationi naturali congruum sit , ut præstantioribus honor deferatur ; imò si quis velit , per nos quoque inter præcepta juris naturalis possit referre , digniores esse honorandos ; id tamen officium inter illa esse referendum , quæ alter suo jure non possit à me exigere , sed quorum præstitorum laus meæ humanitati , ac civilitati sit relinquenda. Uti plurima aliarum virtutum officia , ad quæ præstanda nobis obligatio imperfecta , aliis ad eadem habenda duntaxat aptitudo est. Verum ut quis suo jure possit honorem aut quodvis ejus signum ab altero postulare , necessum est , ut vel imperium in ipsum obtineat , vel ex pacto tale sibi jus quæsierit , aut ex lege per communem utrique dominum lata , vel adprobata.

§. 21. Cæterum inter privatos quidem super honore atque eminentia illud pulcerrimum fuerit certamen , si inter se contendant , quis promptior fuerit in honore defendendo , aut modestior in eodem deprecando. Et merito rideri , qui super isto acrius certaverint , præsertim ubi idem sterilis , & nullo cum emolumento fuerit conjunctus. *Ineptus , per medium pugnat qui prior ire lutum.* Martial. l. x. epigr. 10. Sic ut merito commendari debeat sententia illius Principis , lata in duos ministros minorum gentium , super priori loco in templo contendentes ; ut qui stultitia inter ipsos excelleret , priori loco sederet. Nam quod *Quintilian. declam. 252. honorem vocat pretiosissimum pauperum censum ;* id de existimatione simplici capiendum est.

Vt & inter Principes.

est. Enimvero inter Principes atque integros populos super eminentia dignitatis, & quæ inde dependet, præcedentia, majore prætextu nullis fere non seculis certatum deprehendimus. Sic ut in plurimos congruat illud ap. *Ovidium* l. v. *Fastor. Turbaque cælestes ambitiosa sumus.* Eas ad lites componendas quæ argumenta soleant adferri, operæ pretium puto fuerit paulo pressius considerasse. Illud igitur extra controversiam est positum, si unus principum ab altero dependeat tanquam à superiore, hunc isto esse digniorem, eique præ hoc deberi præcedentiam ex jure perfectio: ut ut fortasse pari uterque titulo gaudeat. Sic dantur exempla magnorum regum, qui alios sub se habent reges nomine, revera magistratus & gubernatores provinciarum. Quidam regna sua abs aliis agnoscunt tanquam feuda, alii alio titulo. Sic apud *Tacit. Agricol. vetus ac iam pridem recepta populi Romani, consuetudo vocatur, ut haberet instrumenta servitutis & reges.* Et qui foedere inæquali alicui jungitur, is eo ipso alterius dignitatem eminentiorem fatetur, dum ad ipsius majestatem comiter colendam sese obstringit. Sed & illud dubio caret, ubi Princeps aliquis pro sua persona, aut tanquam caput suæ civitatis adversus alium jus præstantioris dignitatis, & præcedentiæ quæsiverit ex pacto, aut per consuetudinem & patientiam alterius, cujus nulla probabilior ratio possit proferri, quam quod hic istum se digniorem agnoscat; ei juri posse inhæreret, quam diu durat iste velut character dignitatis, sub quo jus illud fuit quæsitum. vid. *Jacob. Gothofred. de Præcedent. part. 1. c. 1.*

Quorum
argumen-
ta pro e-
minencia

§. 22. Enimvero ubi nondum alicui tale jus fuit quæsitum, variis quisque argumentis sibi præ aliis dignitatem eminentiorem it assertum. Inter ea præcipue solet allegari

allegari antiquitas regni atque familiae ; amplitudo & opul-
 lentia ditiorum , & potentia ; qualitas potestatis , qua
 quis imperium in suo regno gerit ; & splendor tituli. An-
 tiquitatem civitatibus, & familiis venerationis quid addere
 persuasum vulgo est ; jactantque praeripis , qui isthac
 nituntur , sese jamtum sua dignitate exsplenduisse , cum
 alia regna adhuc vilis pars servientium forent ; aut cum fa-
 milia illa , quae jam novo diademate superbit , adhuc
 intra plebeiam obscuritatem latitaret. Nefas esse de digni-
 tate contendere adversus illum , cujus majores alterius
 majoribus poterant uti ministris. Esse hanc velut natura-
 lem & communem legem , ut quae posterius tempore
 producuntur, prioribus subsint. Excurritur dehinc in ma-
 gnificam commemorationem eorum , quae ab isto regno ,
 aut per familiam regnatricem praclare bello ac pace gesta
 sunt. Quorum novi isti parum aut nihil ostentare queunt.
 Potentia autem veneratione terrorem quoque miscet : &
 non imprudens solum , sed & temerarium videtur cum il-
 lo de dignitate velle contendere , cui plurima facultas no-
 bis benefaciendi juxta atque nocendi. Et efficacissimus
 videtur modus ambiendi honores , si quis demonstrato suo
 gladio possit dicere ; si vos non vultis , hic faciet. Sed &
 eminentius judicatur summa libertate gaudentem soli DEO
 subesse , quam legibus humanis aut pactis degere obno-
 xium. Denique cum per titulos res ipsa censeatur expri-
 mi , tituli quoque splendorem & amplitudinem non infe-
 riorem dignitatem arguere.

§. 23. Isthaec & similia , utut in contentione di-
 gnitatis sat plausibiliter possint jactari ; fatendum tamen
 est , ea omnia per se non producere , nisi jus imperfectum
 seu aptitudinem , nisi accesserit aliquod pactum expressum
 aut

ventilan-
 tur,



nempe
antiqui-
tas,

aut tacitum , quod recepto mori inesse intelligitur. Ne-
que defunt , quibus vis ejusmodi argumentorum possit ele-
vari. Ipsam antiquitatem in se nihil habere dignitatis; cum
illa nil notet , nisi tractum durationis , quæ vilem æque ,
atque præstantem rem possit prosequi. Id habere omnia
regna , ut sint libera , & ab alio non dependeant , facul-
tatemque administrandi suas res inter se possideant. Id diu
obtinuerint , an recens quæsierint , parum interesse. E-
quidem quod diu aliquod regnum floruerit , indicio esse ,
ejus compagem concinne dispositam , idque bene fuisse ad-
ministratum. Tum fati benignitate , aut civium virtute
exterum hostem defuisse , aut feliciter fortiterque repulsum.
Sed non minus recentes civitates commode posse disponi ,
& administrari , quam veteres. Imò fortasse commodius,
quod harum bona instituta ex periculosis sæpe experimentis
provenerint ; illas autem optima quæque ab aliis jam in-
venta in usus suos posse transferre. Diuturnam quidem fa-
ti clementiam sibi neminem posse præstare ; id tamen effi-
ci posse , ne per prava instituta civitas in se ruinam trahere
incipiat. Denique ex præsentibus quemlibet æstimandum ;
præterita non amplius , futura nondum ad nos pertinere.
Neque civitates aliquod velut systema aut concilium inter se
constituere , ut recentissimæ cuique locus sit infimus oc-
cupandus : sed quamlibet seorsim sua sibi libertate gaude-
re. Unam familiam in civitate aliqua diu imperium te-
nuisse , sæpe quidem indicio esse , minores majorum vir-
tutem æmulatos , plerunque opes ipsam suas firmiter dispo-
suisse , ut non ausus fuerit aliquis folio eandem deicere.
Interdum ingenio populi , à rebus novis abhorrentis , ali-
quam familiam diuturnam imperii possessionem debere. Non-
nunquam solius fati beneficium vocandum , quod Metelli
Romæ

Romæ sint consules. Ast qui recenter ad illud fastigium enituntur, reponere possunt tritum illud; *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.* Nihil facilius esse, quam partam à majoribus opimam hæreditatem cernere; sed suum patrimonium ipsi sibi adquirere virtutis opus esse. Sorti nascendi illos suam magnitudinem acceptam ferre, se propriæ præstantiæ. Illos aliena & obsoleta decora crepare, se propriis & recentibus enitescere. Denique præsentia jam æstimari, non præterita. Summum nobilitatis gradum haberi, regem esse. Hac recentem æque atque antiquam familiam efferri.

§. 24. Potentia autem hæctenus quidem signa ^{potentia,} venerationis apud infirmiores potest elicere, quod stultum sit illi non cedere, qui nocere potest. Sicuti facete Favorinus apud *Spartianum Hadriano, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores usurpassent; non recte, inquit, suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Enimvero si alicui regi tantum sit virium, ut regnum commode possit tueri, ille sane non habet, quare alteri cedat, opibus quidem superiori, sed quas ipse neque metuere, neq; ambire sui conservandi causa, necessum habeat. Si tantus mihi sit census, ut meo succo commode & laxè queam vivere: quid opus est, ut alium, superfluarum mole divitiarum turgentem, venerer? cujus iras possim contemnere, & cujus gratia beneficiisque non indigeam. Libertas in æquo posita est, quæ magnitudine opum hautquidquam distinguitur. Pateat igitur unius imperium per sexcenta milliaria, alterius per centum duntaxat. Idem tamen imperium hic in modica sua, quam alter in laxiore dititione obtinet: neque hic minus, quam alter

D

alter

alter finem civitatum institutarum consequitur. Ne dicam, quod sola potentia, prout notat vires aliis nocendi, in sese non significet talem præstantiam, quæ sit idonea venerationem seriam elicere. Nam hæc amore quopiam temperarata est. Nocendi autem vires odium conciliant; etsi externa venerationis signa per eas posse exprimi manifestum est, add. I. Godofr. d. tr. part. i. c. 3. §. 19. Porro absolutam habere, & nullis legibus limitatam potestatem, omnino venerationem majorem terrore mixtam apud subjectos conciliat, non item apud alios principes, qui istius absolutam potestatem in ordine ad se pro nuda libertate naturali æstimant; quæ per se nullam dat præminentiam in eum, in quem quis imperium non habet. Et cum Princeps non ex propriis tantum juribus, sed & ex conditione illius civitatis, cui præest, æstimandus sit; potest utique princeps limitatus ex isthac talia habere, ut absoluto aliquo longe sit potior. Denique tituli, & quicquid est verborum, usu sicut nummi valent; & cum in rege nihil amplius possit inveniri, quam summum imperium, sufficit si illud modo nativo sensu, aut ex usu vulgi exprimant; spendor aut modestia vocabulorum ipsi rei nihil addit, demitvè. Sic quod Turcarum monarcha vulgo dicitur Imperator, Persarum, Rex, id in se nullam isti præ hoc eminentiam tribuit. Ambitiosam autem encomiorum struem proprio titulo apponere, uti barbariem redolet; ita idem subjectos fortasse simpliciores ad venerationem movere potest, alios non potest. Quid enim intererat v. g. Imperatoris Romani, Sapores Persarum rex fratrem se Solis & Lunæ, an Saturni & Veneris nuncuparet? Aut quid hodie regum Christianorum interest,

absolutum esse,

& tituli.

terest, quantas lacinias titulo suo assuat Turcarum imperator, qui tamen revera nihil aliud quam rex est.

§. 25. Ex hisce omnibus satis firmiter videtur concludi, ex obligatione perfecta, quæ in altero jus proprietatis præsupponit, regem revera talem non teneri loco cedere alteri regi tanquam digniori, utut hic conditionibus jam enumeratis præpolleat; neque civitatem liberam alteri civitati liberæ, licet antiquiori aut potentiori. Quin nec civitas popularis in se videtur dignitate inferior civitate monarchica, quamvis in civitate democratica nemo unus reperiatur, qui cum rege comparari possit. Unde nec civitatis liberæ legatus necessario legato regis loco cedere tenebitur. Verum quia in dignitate vicaria & delegata tantum splendoris esse non potest, quantum in originaria, neq; in magistratu tantum dignitatis, quantum in principe; & vero civitates liberæ cum regibus in eodem loco convenire non possunt, nisi per legatos aut deputatos; adparet utique, omnino legatum civitatis liberæ cedere debere cuicunque regi aut principi, cui summum est imperium. Et ita quidem videtur sese res habere circa præminentiam dignitatis, & præcedentiam inter eos, qui libertate naturali gaudent.

Naturaliter rex unus præ altero non habet præcedentiam.

§. 26. Isthæc tamen æqualitas inter eos, qui summo sunt imperio præditi, non impedit, quo minus, si opus sit, congregari queant per se, aut per suos legatos, aut etiam in stabile aliquod concilium coalescere. Nam si unus regum ad alterum in ipsius ditionem accedat, lex utique civilitatis requirit, ut quis hospiti domi suæ primum locum deferat; nisi forte veniat tanquam subditus temporarius. Nam utut in territorio suo quilibet sit summus; tamen uti legati, sic & ipsi reges fictione quadam videntur

Reges quomodo congregari possint citralites de præcedentia?



tur constitui extra territorium regis, ad quem ejusdem consensu accedunt, non exuto fortunæ suæ splendore. Ubi duo pluresve in loco tertio congregiuntur, facile caveri potest, ut ne unus alteri prælatus videatur. Nam & conclavia licet comminisci, ut judicari nequeat, quis in iis prior aut dignior locus sit. Possunt etiam ab initio protestari, sese citra ullam præcedentiæ considerationem congressuros, sed vel promiscue & citra ordinem sessuros, pro ut cuique lubitum, aut prout casus tulerit. Sicut de Brachmanibus Indorum sapientibus refert *Philostratus de vita Apollonii Thyanei* l. 3. Nullum regi præcipuum locum assignantes, quod apud Græcos Romanosque maximi æstimatur: sed ut cuique in mentem venit accubere. Idque eo facilius procedit, si isti Principes, quod vulgo vocant, incognito & familiariter conveniant, id est, exuta velut fortunæ suæ mole. quo ipso testantur, sibi super dignitate curam aut contentionem haut quidquam fore. Et sane laudandum est istud commentum, incognito iter faciendi, aut cum aliis congregiendi, ut ut omnibus quis sit notissimus, parcendis plurimis sumptibus, & declinandis ceremoniarum, atque contentionum inanibus. Sed si hoc displiceat, forti res potest committi, idque ut vel semper quis illum locum retineat, quem semel est sortitus, vel ut ordo per sortem constitutus deinceps velut in orbem eat. Atque hæc facilius adhuc procedunt, si legati duntaxat congregiantur; præsertim cum circa hos aliud adhuc sit medium collisioni vitandæ; si non idem omnibus, sed disparis valoris velut character à suis principibus tribuatur. Nam isti dignitatum gradus, cum ex mera impositione oriuntur, facillime plurimis modis variari possunt. Quemadmodum regi, si quem suo officio demovere subtiliori modo

do

do placeat, aliumque in ejus locum surrogare, novum officii vocabulum comminisci in proclivi est. Add. *Jacob. Godofr. tr. d. part. 3.*

§. 27. Quod si autem inter plures æquales societas aliqua duratura sit instituenda, & singuli focii æqualitatem rerinere velint, neque circa locum fors aut alternatio placeat, alia ordinis ratio adhuc superest, quæ itidem aliquod fortis instar habet, neque dignitati alicujus fraudi potest esse; ut nempe eo quisque ordine in communi conventu sedeat, quo in eundem fuit receptus. Id quod præprijis locum habet inter eos, qui societati jam constitutæ deinceps accedunt. Nam illis, qui primi societatem constituunt, locum sorte aut per conventionem attribui convenientius fuerit. Et quia in plurimis conventibus & collegiis id usurpatum, ut secundum ordinem receptionis locus cuique assignetur; hinc *Grotius l. 2. c. 5. §. 21.* tanquam universale pronunciatum ponit: naturalem inter socios hunc esse ordinem, prout quisque in societatem venit. vid. etiam *l. 1. ff. de albo scrib. l. 1. C. de Consul. l. ult. C. de Tironib. l. 1. C. de Præpos. sacri cub. l. 2. C. de Præfect. prætor. l. 10. C. de Professor. add. Jac. Godofr. d. tr. part. 2. c. 3 §. 17. 18.* Ubi sciendum, in ejusmodi societatibus priorem aut posteriorem locum hautquidquam notare eminentiorem aut tenuiorem dignitatem: sed esse merum & nudum ordinem inter pares dignitate. ac inter tales revera obtinere tritum illum versiculum: Ultimus & primus sunt in honore pares. Nam illud *Ausonii panegyri. ad Gratianum*: *Nulla est quidem contumelia secundi, sed ex duobus gloria magna prælati*; locum duntaxat habet, cum prælatio ob majorem in prælato præstantiam facta est. Ubi & hoc obiter monendum, in se locum unum non esse al-

Ordo inter socios.

tero honoratiorem , sed id omne dependere ex imposi-
 tione hominum , qui varii super ea re varie constituerunt.
 Sicuti notissimum est , alium locum heic, alium alibi pro
 honoratiore haberi. vid. *Jacob. Godofr.* d. tr. parte 2.
 Sed & illud *Grotio.* d. l. notatum , eundem morem anti-
 quitus in Christianorum quoque regum ac populorum con-
 ventibus, quibus ad constituendum Ecclesiæ velut universalis
 corpus concurrebant, obtinuisse, ut qui primi Christianismum
 professi forent, in conciliis ad rem Christianam pertinenti-
 bus præcederent cæteros. Quo argumento nonnullis præ-
 cipue niti placuit ad asserendam sibi præ cæteris præeminen-
 tiam , tanquam jure sibi debitam , etiam in aliis quibus-
 cunque congressibus. Enimvero utut in istis conventibus
 sacris forte non sine ratione dictus ordo fuit observatus ;
 tamen ut in omnibus aliis congressibus idem observetur, aut
 ut ex sola antiquitate professionis Christianæ eminens præ-
 aliis dignitas alicui generetur , necessarium non videtur.
 Præterquam enim quod inter decreta religionis Christianæ
 est , ἢ ἑαυτοῦ ἀλλήλους προηγείσθαι. Rom. 12. 20. & ἢ ἑαυτοῦ
 φροσύνη ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Philip. 2. 3. Etiam
 in conciliis illis sacerdotes primas partes egerunt , secula-
 res in accessorii fere locum venerunt , ac decretis illo-
 rum stare jussi. Sic ut reges atque principes in conciliis
 considerati fuerint fere ut sacerdotum subjecti, non uti nul-
 lum in terris superiorem agnoscentes. Ex cujus moris re-
 liquiis fortasse etiam illud adhuc alicubi superest , quod
 quando in precibus publicis homines DEO commendan-
 tur , sacerdotes obnixe primum sibi locum vindicent ; aut
 quod in enumeratione illa vulgari statuum , Ecclesiasticus
 semper præmittatur. Alias enim non poterant cordati dispi-
 cete, quam decorum foret , v. g. quod quando Kalendis
 Januariis

Januariis à votis concionum auspicia petuntur, minister aliquis domino suo collegæ diacono sibi que propitium Numen ante omnia precetur, principem demum in secundas partes vocet, quasi in ipsis salus reip. & ecclesiæ magis quam in principe vertatur; præsertim cum iste non sit ex hostibus aut persecutoribus Ecclesiæ, qualibus tamen Paulus Apostolus æque honorem uti tributum, id est, ex obligatione perfecta, tribui jubet, sed nutritius atque defensor Ecclesiæ, imo summus in sua ditione Episcopus. Sed quicquid hujus sit, non statim, qui in certo conventu, ob certum quempiam respectum, qui ipsius dignitatem in universum haut quidquam afficit, alteri cedit, is ubique, & quando istius respectus ratio non amplius habetur, alteri tenetur cedere. Sicut & in civitatibus videmus multos diversis interesse collegiis, & in uno collegio alteri loco cedere, extra illud autem, aut in alio collegio priorem præ eodem locum obtinere.

§. 28. Enimvero illud manifestum est, imperio hanc quoque vim inesse, ut prælationem tribuat per modum juris perfecti valituram, adversus eum, in quem exercetur. Nam omnino præstantius est, imperare, quam parere; alterius voluntatem suæ voluntati habere obnoxiam, quam ad alteram sese attemperare. Et necessum est, ut in me adversus illum existat veneratio, qui metu pœnæ quoque ad jussa sua obeunda me potest compellere. Sic ut imperium per se inæqualitatem inter homines introducat. Nestor ap. *Homerum Iliad.* a. Neque tu Pelide velis contendere cum rege Ex adverso: nam nunquam æqualem fortitus est honorem Sceptryger rex, cui Jupiter honorem dedit. Si vero tu fortis es, deaque te genuit mater; At hic quidem potentior est. nam pluribus imperat.

Civium designare ordinem est, summi imperii.

Achilles

Achilles magis ductum Agamemnonis , quam imperium proprie dictum agnoscebat. Sed & illud apertum est, quo amplius est imperium & efficacius , eo majorem id dignitatem imperanti apud subiectos circumponere. Quin ipsa imperii duratio, etsi per se ad vim ejusdem nihil faciat, imperantis tamen dignationem non mediocriter auget. Inter eos vero, qui in eadem vivunt rep. eidemque imperio subsunt, existimationi intensivæ certam velut mensuram constituit, & ad præcedentiam præ altero plenum atque perfectum jus concedere sine dubio est illius, qui summum in civitate habet imperium. Quem iste locum cuique assignaverit, eum uti adversus concives recte tueri potest, sic & eidem omnino adquiescere tenetur. Et licet forte unus vel alter præter meritum præstantioribus videatur prælatus; tamen nihilo secius tanquam contemtor potestatis summæ plecti poterit, qui aut illorum locum velit sollicitare, aut suo contentus non esse. vid. l. 1. C. *ut dignit. ordo servetur.* Nec incommode huic trahi potest illud M. Terentii apud *Tacitum* A. VI. *Non est nostrum estimare, quem supra ceteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium dii dedere; nobis obsequii gloria relicta est.* Nec absurde huc traxeris illud *Luciani* *Judicio Vocalium.* Est pulchrum, unamquamque literam in eo ordine, quem primum sortita est, manere: transcendere vero eò, quo non oportet, ejus est, qui jus & æquum solvit. Et qui primus vobis hac leges finxit & formavit, non ordinem tantum, per quem sua quibusque literis præsentia dignitas firmiter permanet, definivit: sed &c. Omnino tamen recte fecerit princeps, tollendis hominum ambitiosorum querelis, si in assignando loco honoratiore fundamenta dignitatis, jam superius enumerata, insuper non habeat, Quia tamen molestum foret

ret principibus , siquidem semper cuique ex intrinseca sua dignitate locus foret assignandus , tam saepe suorum civium recensionem instituere , in qua non posset non longe maxima pars eorum offendi ; cum plerique non eos soleant numerare , quos à tergo reliquerunt , sed quos sibi prælatos cernunt : expeditissimum visum , saltem primariis civibus , ex muneribus , quibus in rep. funguntur , dignationem assignare. Ubi itidem querelis ansa præscindetur , si merentibus & idoneis talia munera conferantur , sique ipsorum munerum ordo apte sit dispositus. Ordo autem munerum in rep. in universum hic maxime videtur concinnus , si eo major cuique adhæreat dignatio , quo præstantiora negotia , & ad summam reip. plurimum facientia per id obeantur , & quæ nobilissimas animi artes requirant. In singulis autem munerum generibus eo dignior quisque habeatur , quo nobiliori opera fungitur. Etsi & hoc sæpissime contingat , ut unum quidem munus in se altero sit nobilius ; non statim tamen omnes & singuli , qui nobiliori muneri operam dant , omnibus & singulis in altero munere constitutis præferantur ; sed ut v. g. qui princeps est in posteriori munere cedat quidem ei , qui priori in munere primas obtinet , reliquis tamen omnibus primo subordinatis præferatur. Quod si vero ipsi cives inter sese super loco conventionem ineant , aut si in aliqua civitate certus ordo sit per consuetudinem introductus , utraque legis vicem obtinebit , siquidem à supremo imperante ipsi non fuerit contradictum. vid. l. 2.

C. ut dignitatum ordo servetur. & Ant. Perez. ad d. t.

§. 29. Quod si autem inter se sint comparandi eminentes viri diversarum civitatum , patet fundamenta illa intensivæ existimationis ne inter hos quidem aliud parere , quam aptitudinem recipiendi venerationem ab his , qui istis

quomodo comparantur inter se proceres diversarum civitatum

E

funda-

fundamentis minus pollent. Idque sive præstantior ille in civitatem alterius tanquam peregrinus veniat, sive in loco tertio congregiantur. Nisi princeps civi suo injunxerit, ut peregrino cedat; aut tertius, apud quem convenitur, rem definierit, aut conventionem vel consuetudinem res sit decisa. Adeoque ne ipsa quidem præstantia muneris, quod quis in sua civitate gerit, jus ipsi dat se præferendi civibus alienæ reip. qui tali duntaxat munere gaudent, quod ipse in sua civitate præcedebat. Nam quod jus valet adversus meos cives, id non statim valet adversus alios. Prorsus uti leges aliarum civitatum nos hautquidquam stringunt. Neque obstat, quod extraneus ille titulum gerat, qui titulum ejus, quicum contendit, in ipsius civitate præcellit. Nam in cujusque civitatis arbitrio est, qualiter cives suos velit æstimare; qualem itidem valorem apud se velit imponere titulis, aliisque honorum insignibus, quæ abs se aut aliis collata sunt. Quin & officiorum, quorum amplitudine ut plurimum dignitates mensurantur, diversus apud diversos valor. Ipsæ quoque solidæ artes alibi plus, alibi minus æstimantur. Sicut alibi pacis, alibi belli artes pluris fieri notum est. Cum primis autem circa vocabula dignitatum gradus exprimentia observandum, quod illa non solum diversis in civitatibus diversas notent dignitates; sed etiam in eadem civitate aliquando plus, aliquando minus valeant: prout tractus temporis aliarum quoque rerum pretia minuere aut intendere suevit. Scilicet existimationis exteriora signa valorem determinatum habent ex impositione singularium civitatum; etsi fundamenta existimationis intensivæ in se, & prout sapientibus æstimantur, valorem ubique suum obtineant. Unde ubique terrarum virtuti, & eximiis artibus aut functionibus suus est honos: sed ex illis
 solis

solis certa honorum insignia suo jure apud exteros postulare nemo potest, nisi modis supra dictis jus sibi illud quæsi-
 verit. Verum quia insignia honorum ubique ob eximiae
 virtutis opinionem tribui præsumuntur, cultissimæ quæ-
 que gentium exterorum honoribus eandem fere veneratio-
 nem solent deferre, quam ipsorum civitas iisdem assignat.
 Id tamen ex civilitate & humanitate, non ex obligatione
 aliqua perfecta præstare videri volunt. Quanquam non desunt,
 apud quos extranei honores in exiguo sunt pretio. Sic
 enim Ciceroni peregrini nonnulli, splendidis familiis orti,
 vocantur non absolute, sed *domi, aut apud suos nobiles*;
 scilicet quod peregrinæ nobilitati Romæ non idem esset va-
 lor, atque in sua cuique civitate. Sic quis ignorat medio-
 criter eruditorum, quantus honos Olympionicis apud Græ-
 cos quondam habitus? Eundem si apud alios, queis tan-
 ti non æstimatæ fuerunt vires corporis aut agilitas, exhiberi
 sibi postulassent, rideri merebantur.

§. 30. Difficilius adhuc videtur fieri posse compa-
 ratio inter proceres alicujus regni regularis, & principes
 alicujus reip. irregularis. Ponamus v. g. magnum aliquod
 imperium, quod antiquitus quidem habuerit formam julti
 regni; sed quod lapsu temporum in irregularem plane for-
 mam degeneraverit; ut qui ministri quondam regis e-
 rant proceres, & provinciarum præsides, jam hæredita-
 rio, ac summo fere jure ditiones suas obtineant, inque
 eas omnes summi imperii partes proprio fere arbitrio exer-
 ceant. Sic ut ista resp. non amplius pro regno proprie dicto
 possit haberi, sed fere pro systemate plurium civitatum fœ-
 dere perpetuo connexarum, in quo dux velut fœderis titu-
 lo & insignibus regis conspicuus emineat. Hæc sane ad-
 paret, cum ejusmodi reip. principibus ad summum impe-
 rium

præpri-
 mis irre-
 gula-
 rium?



rium nihil , aut parum admodum desit , non posse cum illis comparari proceres regni alicujus regularis , qui utique regis sui subditi sunt proprie dicti ; utut fortasse pari aut splendidiore titulo gaudeant , aut ampliores quam isti redditus percipiant. Nam titulorum in diversis civitatibus diversus valor. Et principibus istius systematis modici sui tituli ex antiqua conditione remanserunt , potestas autem opesque maxima incrementa sumserunt. In regulari autem regno titulus quamvis magnificus nihil aliud notat , quam eminentem civem , qui regis summo imperio non minus , quam alii , sublit. Sola autem pecunia hautquidquam sufficiens est fundamentum , quare quis alteri se præferre aut æquiparare possit. Enimvero summum habere imperium tantam in se habet dignitatem , ut reliqua omnia , quibus alias hominum dignatio solet æstimari , longe videatur præponderare. Sed quid si proceres istius regni regularis sint ex stirpe regia , ad quam lege regni fundamentali successio certo & immutabili ordine sit alligata ? Hi enim reponere possunt principibus reip. ut ita loquar systematicæ ; citra controversiam regem regni regularis cuius ipsorum esse anteferendum. Spem autem , quæ in plenum & perfectum jus evaluit , posse pro re haberi. vid. *Jac. Godofr. d. tr. part. i. c. i. §. 4.* Verum reponi potest , non omnem spem , quæ ex lege regni vim juris nacta est , paris esse valoris ; sed eo majoris quamque habendam , quo propius ipsam velut rem contingit. Frequentissimum autem esse , ut quo antiquior sit ejusmodi spes , eo longius quis à regno removeatur , multiplicatis illis , qui propiori gradu à rege distant. Et quam splendida sit illa spes , tamen quousque in rem mutetur , subditorum illos loco habendos. Denique illis se fortasse cessuros , quorum spes non nisi turbato
morta.

mortalitatis ordine queat intercipi; quales sunt primogenitus regis filius, aut primogeniti primogenitus, aut regis improlis frater, proximusve agnatus. Longius remotorum spei, quæ fortasse in infinitum extrahi possit, sese rem suam præsentem recte posse antehabere.

§. 31. Sed quid si debeant invicem comparari proceres duarum rerump. irregularium. Ponamus aliquam civitatem sat mediocri territorio comprehensam, sed cujus princeps peculiarem sibi autoritatem vindicet circa moderanda sacra, hominesque sacris addictos, etiam in alijs civitatibus. In eadem civitate ponamus esse septuaginta duos proceres, penes quos solos jus sit ex suo ordine ejusmodi regem sacrorum eligendi. Ex adverso locemus magnum aliquod velut systema, de quo in proximo §. innuimus, cujus caput eligendi itidem septem aut octo primarii principes jus habeant. Fingamus inter hosce electores, atque alteros illos oriri controversiam super præcedentia: Hæc utrorum dignitas solidioribus nitatur fundamentis, cordatis non difficile est dispicere. Sacri proceres isthoc præprimis videntur jactare posse, quod cum sacra potestas animas hominum afficiat, secularis autem corpus duntaxat, illa utique hac sit præstantior & dignior censenda. Cui consequens sit, ut Rex sacrorum regem secularem dignitate superet. Quo posito, non posse non, qui istum eligunt, hujus electores dignitate eminere. Enimvero præterquam quod inter sapientes valde dubium sit, anne detur aliqua potestas circa sacra, quæ sese ultra limites unius civitatis extendat; etiam illa ipsa potestas circa sacra, statusque peculiariter sacris addictus ex decretis religionis Christianæ non videtur idoneum fundamentum superstruendæ venerationi, quæ ex jure perfecto in civitate debita intelligatur. Nam utut fortasse decorum sit, sacerdotibus re-



verentiam exhiberi ab illis , qui veræ ipsos religioni operari sunt persuasi ; ut tamen hi suo jure præcedentiam sibi velint vindicare præ aliis , id omnino absurdum videretur ; postquam ipsa religio docet , ejus ministros præcipue ab ejusmodi rebus affectandis alienos esse debere. Præsertim cum ipse sacer princeps inter titulos suos servum servorum sese profiteatur ; & inter addictissimos ipsius ministros aliquando lites super humiliore loco agitatae legantur. vid. *Jacob. Godofredi d. tr. protheor. c. iv. lit. d.* Deinde si vel maxime fingamus , istum principem sacrum regi seculari dignitate parem aut superiorem esse ; non tamen ideo statim , qui illum eligunt præferendi erunt istis , qui hunc eligunt. Nam quo major est eligentium numerus , eo magis quod ex eo munere splendoris resultat , oportet velut dissipari atque attenuari. Splendor autem inter paucos collectus vividior est. Quod si & hoc accedat , ut electores principis sacri nil aliud sint , quam perpetuum consilium ejusdem , in quos ille utique summum habeat imperium ; electores autem principis secularis ditionum magnarum sint domini , in quas ad summum imperium parum aut nihil ipsis desit ; quique principis , quem elegerunt , magis tanquam fœderati majestatem comiter colant , quam imperio ipsius sint subjecti ; qua fronte amplius isti his antehaberi postulabunt ? Quid si autem iidem regerant , nonnullos ex electoribus principis secularis esse etiam membra civitatis sacrae , quorum munus sacrum istorum munere sit inferius ; & isthoc saltem intuitu electores principis sacri esse superiores ? Heic si nihil amplius refugii supersit , fortasse non absurde illi respondebunt : ubi contingat ipsos concurrere in actu aliquo solenni civitatis sacrae , sese illis loco ibi cessuros ; verum hoc non obtare , quo minus extra eum actum iisdem præferantur. Multo minus

minus id præjudicare collegis suis, qui inter ordines civitatis sacrae non recensentur. Non autem inusitatum esse, certo respectu, & certo in concilio alicui cedere, quo in aliis locis sis superior. vid. l. 6. §. 6. C. de postulando. Jac. Godofr. d. tr. part. 1. c. 8. & c. 34. Neque statim sequitur; tu loco cedis illis, qui certo respectu mihi cedunt, (qui respectus tamen te non tangit;) ergo mihi quoque cedere teneris.

§. 32. Denique quia plurimas apud gentes natalibus aliqua dignitas putatur adherere, ad argumentum quoque nostrum spectare videtur, curatius inquirere, quidnam solidi tantopere à multis jactatae sanguinis nobilitati subsit, & quo illa in se spectata valore sit aestimanda. Id igitur in aprico est, natales nobiles hautquidquam per se tribuere præstantius temperamentum corporis, utut sæpe bonitas alimentorum aliquid huc faciat, aut præstantiorem animum, eximiamque vim ingenii. Sed plebeiis ex natalibus æque feliciter hæc posse provenire. Nec alio ordine in producendis nobilibus, quam plebeiis natura procedit. Sed & pari sanctimonia plebeiorum quam nobilium matrimonia coluntur, aut coli possunt. Nec facile quis præstiterit, minus frequenter auratos thoros ab adulteris perfultari, quam modicas spondas. Adeo ut si vel maxime virtus parentum in prolem semper transfunderetur; multis tamen difficillimum sit futurum probatu, abs prima stirpis origine intaminatum, ac citra alieni mixturam, sanguinem ad sese demissum. vid. Grot. de I. B. P. l. 2. c. 7. §. 8. Sed nec illud vulgatum, fortes creantur fortibus & bonis, adeo citra exceptionem est, quin in contrarium æque invaluerit, heroum filij nonne. Porro plebei non semper deterius educantur, quam nobiles; imò sæpe quo plura his media indulsit fortuna, bene

Quare ex natalibus dignitas?

bene excolendo animo , eo turpius iisdem ad luxuriam ,
 segnitiam , aliorumque vitiorum alimenta abutuntur. Re-
 cte *Plato Alcibiade I.* τὰς εὐφύνας , εὐφύνας εὐφύνας εὐφύνας
 τελέως γίνεσθαι πρὸς ἀρετὴν εἰκός. Et ipsa res ostendit , mul-
 tos nobilium degeneres majorum gloriam obfusasse. *Ari-
 stot. Rhet. I. 2. c. 15.* ἐστὶ δὲ , εὐγενὲς μὲν , κατὰ τὴν ἰσθμὸν γένεσθαι ἀρε-
 τῆν. γενναῖον δὲ , κατὰ τὸ μὴ ἐξίσασθαι ἐκ τῆς φύσεως. ὅπερ ὡς ἐπι-
 τοπολὸν ἔ συμβαίνει τοῖς εὐγενέσιν , ἀλλ' εἰσὶν οἱ πολλοὶ ἐντελεῖς. add.
Stobaeus serm. 84. 85. Multos quoque obscuro natos loco
 per suam virtutem ad summa proventus constat; nec solus
 Tydides melior patre. Inde in ipsa quidem natura nulla
 adparet necessitas , quare aut in munera , aut in existima-
 tionis paternæ gradum solos ob natales filius debeat succe-
 dere ; præsertim cum ultimo demum omnes ex eadem stir-
 pe genus deducamus.

§. 33. Nihilominus multis civitatibus placuit , ut
 præclare meriti cives statum illum , certis privilegiis , cer-
 toque existimationis gradu donatum , in quem ipsi per ci-
 vitatem sunt locati , in sobolem suam per solam nativita-
 tem velut aliquam hereditatem transmitterent. *Lesbona-
 etes orat. hortator.* τῶν ἐν τοῖς δεινοῖς ἀνδρῶν ἀγαθῶν γινόμενων οἱ
 παῖδες εὐγενεῖς νομίζονται. Quam ob causam etiam talibus ne-
 cessum est , stemma suum curiose annotare , quippe cum
 ista privilegia non nisi certas familias comitentur. Ex
 quibus satis adparet , in solis natalibus nobilibus præ ple-
 beis naturaliter nihil inesse eximii ; sed eam prærogativam
 esse ex impositione & indultu civitatis , quæ constituit , ut
 certus status , cui annexa certa jura , gradusque existima-
 tionis , in aliquem semel collatus ad ipsius posteros citra
 novam collationem per solos natales derivetur. Qua
 impositione sublata vel quadraviti natales à cerdonis ali-
 cujus

cujus natalibus ne hilum discrepabunt. Unde quando princeps plebeium aliquem inter nobiles transcribit, in ipsius natura, ortuque nihil immutat, nec novum aliquem vigorem ejusdem animo infundit; sed jubet ipsum cense-ri statu plebeiis contradistincto, quem una cum adhæren- tibus juribus ad posteros suos sit transmissurus. Vice versa si quis ordine nobilium eiiciatur ob delicta, aut quod le- gibus nobilium in sua civitate positus conformem sese non gesserit, ejus sane neque natura, neque animus mutatur, aut quem ex majoribus traxit sanguis; neque efficitur, ut qui nobilibus parentibus est natus, iisdem non sit natus; sed adimitur duntaxat ipsi status atque jura nobilitati in ea civitate competentia. Quo facto statim plebeius est. Quem- admodum neque legitimatio, neque natalium restitutio aliquid in natura mutant, sed meros tribuunt effectus mo- rales. Id quod sufficienti est indicio nobilitatem generis substantiam velut suam non ab ipsa natura, sed ab hominum impositione mutuari.

§. 34. Fatendum tamen est, plerasque gentes in conferenda nobilitate præstantes quasdam artes, & egre- gia merita respexisse. Quibus qui enituerat uti recte di- gnatione reliquos eminebat; ita largius judicabatur æsti- mari virtus, cujus præmia ad istos quoque derivarentur, quos natura quilibet quam carissimos habet. Præsertim cum ea res speraretur civium virtutem extimulatura, acrius affectandis ejusmodi præmiis. Simul proles ista domesticis exemplis excitata, parentum virtutem æmulatura credeba- tur, splendoremque illum iisdem, quibus partus erat, ar- tibus tuitura. Nec minus putabantur parentes operam daturi, ut quantum in se prolem sibi non indecorem recip. repræsentarent. Cui consequens erat, ut postquam

F

nobi-

nobilitatem sorte nascendi adquiri receptum fuerat, curiose circa deligendas uxores versarentur nobiles, ne dispari se genere miscentes proli suæ jura ista interverterent; an ut æqualium potius quam inferiorum filiæ in consortium ejus dignitatis adsciscerentur. Ac ne proli fortasse super natalibus lites moverentur, accurate majores longa serie annotare rationis erat. Cum contra plebei super vacuum haberent, avos proavosque ambitiose disponere: quippe quibus ex natalibus nihil privilegii, sed propria cuique virtute & industria nitendum. Inde quoque nobiles, quo stirpem suam facilius possent docere, certis cognominibus atque insignibus distingui receptum fuit: de quo itidem plebei priscis temporibus parum fuisse curiosi deprehenduntur.

Qualis
nobilitas
in rep.
Romana?

§. 35. Hisce illustrandis non abs re fuerit Romanorum super nobilitate instituta curatius excussisse. Ut igitur suam illam hominum colluviem Romulus in justam formam populi componeret, ex universa multitudine centum delegit, consilio sibi præsto futuros, quos Patres appellari placuit, exprimendo muneri, aut propter ætatem: reliqui plebs mansere. Istorum progenies patricii appellati, simplicissima denominatione, quasi Patrum posterii; aliis ideo, quod hi soli patres suos possent ostendere; cum cætera turba fugitivorum fuerit, nec valentium proferre patres ingenuos, verbo, terræ filii. In eam rem argumento usi sunt, quod quotiens patricii convocarentur à regibus, præcones quemque suo ac paterno cicerent nomine; plebeios vero ministri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem excitaverint. Etsi more suo *Dionys. Halicarnass. antiq. Roman.* l. 2. institutum hoc mollius interpretetur, (quippe cui omnibus modis

modis incunabula Romæ splendida reddere cordi est ,)
 evocationem patriciorum per præcones honoris , plebis
 per cornua celeritatis causa factam asserens. Contra
 Dionysium tamen videtur valere illud Decii apud *Livium*
 l. x. c. 8. *En unquam (annon) fando audistis, patricios*
primo esse factos non de cælo demissos, sed qui patrem ciere
possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? Consulem iam
patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus. Et
 in univèrsam de prima familiarum Romanarum origine
 fat abjecte *Juvenalis sat. 8.* *Et tamen ut longe repetas, lon-*
geque revolvas nomen, ab infami gentem deducis asylo. Majo-
rum primus quisquis fuit ille tuorum, aut pastor fuit, aut illud
quod dicere nolo. Ex quibus adparet, ad primævam in urbe
 Romana nobilitatem acquirendam suffecisse, ut quis ex
 legitimo natus esset matrimonio, parentibus ingenuis.
 Inde etiam est, quod patricii solis sibi gentem esse jacta-
 rent, ipsosque inter se gentiles. Sic enim gentiles definiun-
 tur à *Cicerone in Topicis*; qui inter se eodem nomine sunt, ab
 ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servie-
 rit, qui capite non sunt deminuti. *Boëtius itidem in Topicis:*
Gentiles sunt, qui eodem inter se nomine sunt, ut Bruti, Sci-
piones; quod si servi sunt, nulla gentilitas esse potest. Quod
si libertinorum nepotes eodem nomine nuncupantur, gentilitas
nulla est, quoniam ab ingenuorum antiquitate gentilitas duci-
tur. Plebejorum quippe multitudinem fere à libertinis or-
 tum habuisse credebant. *Ictus Caius Institut. Libertino-*
rum aut servorum gentilitas non est. Etsi posterioribus tem-
 poribus plebejos quoque gentem sibi asseruisse constat. Ad-
 datur *Franc. Connanus comment. Juris civil. lib. 2. c. 11.*
 Sic hodieque linguæ, quæ ex latina profluxere, nobiles
 solent

solent vocare *gentiles homines*. Ac in multis Germaniæ urbibus patricii solent vocari *Geschlechter*.

§. 36. Enimvero cum deinceps plebei quoque honesta cum ingenuis inirent connubia, & lapsu temporum labes illa, si qua fuit, sordidæ originis exolesceret; inde ut alia differentia à plebeis distinguerentur patricii, sacris gentilitiis institutis peculiarem sibi sanctimoniam circumponere sunt aggressi. Quo nomine ipsis solis deferri posse magistratus contenderunt; quasi qui soli haberent auspicia. vid. *Liv.* l. 4. c. 2. *Quas quantasque res C. Canuleium aggressum? colluvionem gentium, perturbationem auspiorum publicorum privatorumque afferre. &c.* De auspiciis quoque solis Patribus competentibus vid. oratio Appii ap. *Liv.* l. vi. c. 42. & l. x. c. 7. ab init. orat. Quod ludibrium tamen postea plebs non immerito explosit. Quamquam & plebejorum quidam, eludendæ isti patriciorum prærogativæ, privata sibi quoque sacra instituerunt. Quæ cum in hæredes transirent, non sine onere, quomodo per coëmptiones sint extincta docet *Cicero* pro *Muræna*, add. *Godofr.* ad *Ciceron. epist. fam.* l. 7. ep. 29. *Rosin. antiq. Rom.* l. 8. c. 6.

§. 37. Ast cum deinceps senatoria dignitas, & magistratus, qui hæctenus penes solos patricos fuerant, cum plebe communicarentur; factum est, ut Romani dehinc nobilitatem non tam ex antiquitate generis, & patriciati, quam multitudine imaginum æstimarent. Ex quo tempore familiæ nobiles in patricias & plebeias distingui coeptæ. *Liv.* l. x. c. 7. *Numerarentur triumphis plebeiorum: jam ne nobilitatis quidem suæ plebeios pariter.* id. l. vi. c. 37. *Ex ea die (qua consulatus cum plebe sit communicandus) in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant;*

excellant ; imperium atque honorem , gloriam belli , genus , nobilitatem. Equites autem ex institutis civitatis Romanæ nobiles proprie loquendo non erant. Nam quod est apud *Tacit. Agricol.* cum habuisse utrumque avum procuratorem Cæsaris ; quæ *equestris nobilitas* est ; hunc habet sensum ; ut eorum , qui ex senatoriis sunt familiis , nobilitas ex magistratibus curulibus æstimatur ; ita inter equites procuratorem Cæsaris fuisse aliquod instar nobilitatis habet, cum post præfecturam prætorii vix splendidius munus in illum ordinem ut talem cadat. Sic igitur posterioribus temporibus Romæ nobiles non constituebant peculiarem ordinem, & per insignia jura à reliquis distinctum ; sed prout quis multos *fumosos Equitum cum Dictatore magistros* in atrio disposuerat , aut propria virtute ad honores adspiraverat, ita majorum , aut propriis meritis nobilis censebatur. Quo facit illud *Claudiani paneg. de Probrini & Olybrii consulatu: Quemcunque requires Hac de stirpe virum certum est de consule nasci. Per fasces numerantur avi , semperque renata Nobilitate virent.* Quanquam autem Romæ multi magistratus non minus belli quam pacis tempore valebant, puta dictatores , magistri equitum , consules , prætores ; tamen quia pax est velut ordinarium tempus reip. bellum extraordinarium , adeoque magistratus isti & appellatione & indole sua pacem magis quam bellum viderentur spirare ; adparet paci magis quam bello originem suam debere nobilitatem Romanam. Neque vero congruens erat , ex simplici virtute bellica , & quæ non esset conjuncta cum munere & artibus ducis , nobilitatem derivare , quæ quidem peculiarem ordinem , & multis juribus præfulgentem constitueret in tali rep. , in qua communis omnium civium ars & velut professio erat militia. Sic igitur apud



Romanos nobilitas non tribuebat peculiarem ordinem in rep. , nec ex illa aliud fere emolumentum , quam quod majorum imagines aditum ad honores faciliorem panderent.

Nobilitas hodierna à Romana fere diversa.

§. 38. Ex hisce manifestum est , diversum esse genus nobilitatis modernæ in plerisque Europæ regnis à nobilitate Romana. Nam apud nos nobiles peculiarem ordinem constituunt , à reliquis civibus dignitate & eximiis juribus distinctum. Dein nobilitas etiam citra officium publicum confertur ab eo , qui summum in rep. habet imperium , & quidem rarius togatæ , frequentius bellicæ virtutis intuitu. Cujus rei inter alia argumentum est , quod nobiles familiæ tam inter se , quam à plebeiis distinguere soleant insignibus , quæ clypeo sustinentur , imposita galea , & inde *armorum* nomine veniunt. Ex quibus pleræque Arctoa nobilitas ante pauca secula cognomina sibi cœpit adsciscere , cum antea simplicius paternum nomen proprio adicerent. Apud Germanos autem , & plerosque alios Europæ populos , ubi nobilibus ad præstanda munia bellica prædia , pagi , oppida & arces in feudum data fuerunt , plurimi nobiles ex hisce sibi cognomina sumserunt. De causis autem , quare virtuti bellicæ tantum detulerint pleræque nationes Europæ , sic videtur habendum. Equidem in se non minoris sunt , quæ in toga in remp. possunt conferri , quam quæ in sago. Leges salutares condere , jus integre dicere , opes civitatis per artes & commercia introducta augere , eloquentia populi tumentes animos mulcere , & in quam partem expediat flectere , consilio exterorum conatus adversum nos subtiliter investigare atque eludere , præclarissima utique sunt , & quovis honore digna. Neque ista tamen semper , apud imperitos præprimis ,
fat

fat ample æstimantur, tum quod artes, ex quibus talia
 promanant, non adeo in oculos incurrunt, & à plebe
 parum intelligi possunt; tum quod cum tranquillitate qua-
 dam, & citra impetum atque periculum sese videantur
 explicare. Quæ omnia in virtute bellica secus sunt. At-
 que inde, quanquam administratio civilis citra fortitudi-
 nem atque firmitatem animi non possit obiri; longe ta-
 men splendidius creditum, apud martii spiritus populos,
 & qui sanguine quam sudore rem quærere maluerunt, con-
 tra tam terribilem armorum apparatus, & ubi præsen-
 tem omnia mortem intentant, intrepidum offerre pectus,
 & de pretiosissima rerum humanarum periclitari, ut cæteris co-
 tutius liceat ævum exigere. Imo monarchæ, & primariæ his
 subordinatæ dignitates ad militiam fere incunabula sua refe-
 runt. Sane enim in civitatibus interna civium concordia, bo-
 niq; mores tempore pacis commodissime videbantur servari
 posse per Senatum aliquem constantem ex viris ætate, sapien-
 tia, autoritate, usuque rerum venerabilibus. Sed cum
 in bello multitudine ducum, pari potestate præditorum,
 nihil nocentius, ad unum summam belli deferri expedie-
 bat; cui & pacis negotia committenda erant, ne biceps
 civitas & monstrosa evaderet. Nec facile reperias regnum,
 cuius primus fundator bellica laude non claruerit. Sic
 Ebræi tunc demum de rege creando cogitare cœperunt,
 quando periculosum bellum ingruerat. Nec absurde om-
 nino judicabat Domitianus ap. Tacit. Agric. artium pacis
*defectum in principe (qualis præprimis Romanis erat) ut-
 cunque dissimulari: ducis boni imperatoriam virtutem esse.*
 Inde & nobilitas maxime solet florere sub rege, tanquam
 militari capite, utpote ex eadem origine subnata. Nam
 populari

populari in rep. invidiosum , solam ab nascendi sortem alios magnopere eminere. Et libertati prægravis creditur, quo quis bello magis inclaruerit. vid. *Cornel. Nep. Chabria* c. 3 num. 3. 4. Quid quod Imperatoris & Ducis vocabula prima origine mere sunt militaria ? Et quod hodierni nobiles Equites volunt audire. In jure feudali miles fere idem est, quod vasallus nobilis. In Germania immediati nobiles vocantur Imperii milites , *des Reichs-Knechte*. Et plerisque in regnis Europæ nobiles prædia sua feudorum nomine possident , à multis immunia oneribus , quibus plebeiorum bona premuntur, ut isti militarem operam reip. præstent. Inde quoque nobilibus mercaturam exercere insolitum , non quod illa in se habeat quid inhonestum & sordidum , sed ne per eam nobiles à studiis militaribus abstrahantur , & feuda sua gratis possideant. Et si quibus in civitatibus nobiles citra diminutionem dignitatis mercaturæ dant operam , tuto judices licet , eam nobilitatem ex militia hautquidquam originem ducere. Facit etiam huc, quod tradit *Herodotus* l. 2. apud Ægyptios , Scythas , Persasque & Lydos , denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus eos , qui artificia discunt , eorumque liberos ; generosiores autem eos , qui à manuariis operibus obstineant , præsertim qui cessent ob bellum.

Alicubi
nobilitas
sanguinis
nullo pre-
tio.

§. 39. In quibusdam tamen civitatibus exigua natalium dignatio , & sua cuique ex virtute propria , meritis in rep. ac muneribus nobilitas. *Diodor. Sicul.* l. 1. c. 92. de laudationibus funebribus apud Ægyptios : *de genere quidem nihil , ut Græcorum consuetudo habet , memorant ; quia omnes æque nobiles in Ægypto esse censent. sed ut à puero educatus , & institutus , & ad virilem ætatem progressus pietatem in Deos , justitiam, itemque continentiam & alias*

alias virtutes coluerit, recensent. De moribus Turcarum
 Auger. Busbequius epist. 1. Turca neminem, ne suorum qui-
 dem, nisi ex se pendunt: sola domo Othomanorum excepta,
 quæ suis censetur natalibus. Ibid. Gianizarorum magnus nume-
 rus, sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtu-
 tibus & factis; natalibus nemo à reliquis distinguitur: honos
 cuique pro muneris & officij, quod administrat, ratione
 defertur: nullum ibi de loco certamen; muneris genus quo
 fungitur suum cuique locum assignat. munera vero & officia
 princeps ipse distribuit. In quo non divitias, non fumum no-
 bilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judi-
 cium moratur; sed merita considerat, sed mores, ingenium-
 que atque indolem intuetur, ex sua virtute unusquisque orna-
 tur. Ita muneribus, qui sunt ad ea obeunda idonei, prest-
 ciuntur, suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingat
 pro arbitrio in manu habet. Qui rerum primas à principe te-
 nent, fere sunt pastorum aut bubulcorum filij: de quo tantum
 abest, ut eos pudeat, etiam inter se gloriantur; eoque plus sibi
 tribuunt, quo minus majoribus aut natalium fortuna debent. ne-
 que enim aut nasci, aut propagari traducique virtutem putant;
 sed partim à Deo dari, partim bona disciplina, multoque labo-
 re & studio comparari. Hinc & cum apud eosdem paterna no-
 bilitas liberos non sequatur, nulla stemmatum cura: neque
 in deligendis uxoribus genus spectatur; quippe quæ in filios suos
 nil nisi propria matrum munera possunt conferre, generare &
 nutrire. Nec in iisdem viri quid, præter corpora & mores spe-
 ctandum habent. Et ne credamus ex sola barbarie talia pro-
 ficisci, cui non notum illud Ovidii metam. 13. Nam genus, &
 proavos, & quæ non fecimus ipsi Vix ea nostra voco. Seneca
 Herc. Fur. Qui genus jactat suum aliena laudat. Aristoteli
 Rhetor. 1. 2. c. 15. ἐγγένεια vocatur ἐπιπαρόλησ ἀπογοόνων. Et illud

G

Boëtij

*Boëtij de consolat. Philosoph. Quid genus & proavos strepitis?
 Si primordia vestra, Autoremque Deum spectes, Nullus degener
 extat; Ni vitiis pejora fovens Proprium deserat ortum. Horat.
 Serm. 1. 1. sat. 6. ad Mæcenatem: Referre negas, quali sit quis-
 que parente Natus, dum ingenuus. Claudian. 1. 2. de laudib.
 Stilicon. Lectos ex omnibus oris Evehis; & meritum, nunquam
 cunabula queris, Et qualis, non unde satus. Graviter quoque
 Antigonus fortis centurionis ignavo filio ad honores adspi-
 ranti; *παρ' ἐμοὶ (φροσίν) ἀνδραγαθίας εἶσιν & παλαραγας ἱμαί.*
 ap. Plutarch. de vitios. pudore. Et sane non absurde aliqui
 disputant; iniquum videri propter solos natales, (qui neque
 per se quid virtutis conferunt, & quos nemo sibi ipsi præstare
 potest,) alicui conferre immunitatem à certis reip. oneribus
 in fraudem reliquorum civium, aut propiorem aditum ad
 munia reip. concedere; cum artes ad ista munera obeunda
 necessariæ in aliis æque, aut magis, quam in istis inveniantur.
 Multo magis, si quis ex illorum sit censu, de quibus *Aristo-
 phanes Ranis. act. 3. sc. 1. v. 2. πῶς γὰρ εἰχὶ γεννάδας, ὄσις γε πίνειν
 οἶδε καὶ βίβειν μόνον;* Esse denique morbum reip. non medio-
 crem, si summa potestas civilis circa mandanda munia pu-
 blica certo ordini sit ita alligata, ut aliorum opera civium uti
 nequeat in negotiis, quibus maxime deprehenduntur idonei;
 præsertim ubi non sit ipsi concessum, egregios viros in istum
 ordinem cooptare. Nam si principi alicui nobiles ideo sint
 fovendi, ut horum ope reliquos cives eo melius possit coërce-
 re, id signum est potestatis titubantis, & paulo minus quam curru
 jam excussæ; dum velut in factionem cum parte civium cogi-
 tur coire, nec amplius aperta imperii vi, sed callidis artibus niti-
 tur. Enimvero nobis hautquidquam in animo est, ullius jura le-
 gitime quæsitæ convellere aut elevare; sed illud duntaxat osten-
 dendum fuit, si quæ dignatio natalibus certis adhæret, eam non
 à natura, sed ab impositione civitatum promanare.*

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

M. S. VD 17







D. M. A.
D I S S E R T A T I O
D E
M A T H E M A T I C A

U A M
Æ S I D E
P U F E N D O R F
P R O F . P U B L . O R D I N A R .

*itorum examini in
via Heidelbergensi
submittit*

S T E E T
P R O F . P U B L . O R D I N A R .

17. Septemb.



*Philosophica
v. n. n.*

L B E R G Æ,
P R O F . P U B L . O R D I N A R .
N I W A L T E R I , A C A D . T Y P O G R .
c l o l o c L X V I I .